



M. Michael Zeyer.

62.

Disputatio XIII.

In

EPISTOLAM

D. PAULI AD ROMANOS

complectens Capitis Decimi tertii

analyfin & declarationem

succinctam,

Quam certis thesibus comprehensam

in illustri Salana

auspiciis Sacro - sanctae Trinitatis,

PRAESIDE

Viro Reverendo pl. Amplissimo atq; Excellentissimo,

Dn. D. GOTHOFREDO CUNDISIO

Theologo celeberrimo, Profess. Publ.

meritissimo,

Domino, Patrono, Promotore, ac Praeceptore suo

etatem observando,

Publicae censurae submittit

JUSTUS OLDECOP Hildesheimensis

In Auditorio Theologorum,

ad diem 3. Decemb.

J E N A,

Ty pis, CASPARI Freyschmieds & GEORGH Sengenwaldts

ANNO M. DC. XLV.

Disputatio XIII.

30

EPISTOLAM

D. PAULI AD ROMANOS

complectens Capitis Decimicentum

analytici & declarationem

in cunctis

quibus certis locis comprehenditur

in illius Saluta

aspirans sacro - sancta Trinitate

PRÆSIDIO

Dr. D. GOTHOFREDO CUNDISIO

Theologo celeberrimo, Prof. Publ.

in illius

Dominio, Patrono, Promotore, ac Præfectori suo

in illius observando

Publicæ censure submittit

JUSTUS OLBECQ P. Hildesheimensis

in illius Theologiae

ad diem 3. Decemb.

Typis A. S. P. GEOR. G. H. Engelhardtii
ANNO M. DC. XLV.

I. N. J.
THESIS I.



Apud hoc D. Pauli decimum tertium, quantum quantum est, meris & miris exhortationibus ad Christianismum spectantibus referuntur. Præterquam enim quod flumen illud Eloquentiæ Sacræ gentium Doctor ordinem Politicum à Deo esse demonstrat, adeoq; omnes omnino homines, nisi ordinis hujus auctoris Dei Opt. Max. iram & indignationem justam incurrere velint, ad debitam illi subjectionem & obedientiam præstandam, tributa, vectigalia, census, aliasq; pensiones manu, menteq; gratâ persolvenda cohortatur, mutua quoq; dilectionis studium denudè inculcat, & serio urget, nec non ad colendam vitæ sanctimoniam, refrenandasq; pravas cupiditatum illecebras gravissimis in mediû allatis argumentis omnes & singulos exhortatur.

II. Omnium igitur commodissimè in *iris* membra dispesci potest, quorum *primum* subditos ad debitam Magistratui ordinario subjectionem & reverentiam exhibendam obstringit à v. i. ad usq; v. 8. *Secundum* dilectionis Christianæ studium mutudè observandum, à v. 8. usq; ad xi. *lectori* commendat, *tertium* deniq; vitæ sanctitatem & decentem morum compositionem à v. xi. usq; ad finem capituli requirit. Singula breviter delineaturo

Anne Sancte Pater, bone Jesu suggere verba,

Illustramentem, Spiritus alme, precor.

III. Principio verò Apostolus universali Præcepto omnes & singulos homines, cujuscunq; etiam sint sexus, ætatis ordinis, vel dignitatis, sive Laici, sive Clerici, sive pauperes, sive divites, sive summæ, sive imæ conditionis fuerint, nemine exempto Magistratui debere subiectos esse asserit inquitens, *πᾶσι ψυχῆς ἐξουσίας ὑπερέχουσας ὑποτασσέσθω.*

IV. Vox *ψυχή* h. l. non animale, seu carnale, sed per usitatam Hebræis & Græcis *συνεχδοχῆν* integrum hominem animâ & corpore constantem designat. Plura dicta, in quibus

eodem modo usurpatur, invenies Gen. 14. v. 21. cap. 46. v. 27.
Ezech 18. v. 4. Act. 2. v. 41. 1. Petr. 3. v. 20.

V. Signanter verò vocem animæ adhibuit Apostolus, quando quidem officia illa quæ subditis hîc injungit, magis ab anima parte hominis nobiliori & generosiori, quàm à corpore proveniat.

VI. Neq; temerè dicit, omnis anima: singularis enim Emphasis sub his verbis latet, quam probè expendit D. Chryso-
stomus in hujus loci expositione ita scribès: *Ostēdit, inquit, Aposto-
lus, quod ista imperentur omnibus & sacerdotibus & monachis, non so-
lum secularibus, &c. etiamsi Apostolus sis, si Evangelista, si Propheta,
sive quisquis tandē fueris. Neq; enim pietatē subvertet ista subjectio.*
Hujus proinde notationis sensus non est is, quem falsò elicit Pontifex Rom. quasi imperium in ipsas etiam hominum ani-
mas sibi sit concessum. Hoc enim soli Deo competere Christus testatur Matth. 10. v. 28. sed illud indigitare voluit Apostolus: Quicquid spiritum humanum trahit, quicquid formam sapie humanam, illud Magistratui superiori debet esse subjectum.

VII. *ὑποταξάμενοι* non simplicem & absolutam subjectio-
nem, sed tantum *ὑποταγήν* sive subordinationem notat. Respi-
cit nimirum Apostolus ad potestatem Magistratui concessam, non absolutam ac infinitam, sed subordinatam & ad præscri-
ptum legis divinæ determinatam tanquam superioris, imò su-
premi ordinis. Imperativè autem loquitur, ut gravitas deli-
cti intelligatur, si quis cōtra faxit & præceptum hoc susq; deq;
habuerit. Hinc *ὑποταξάμενοι* dicuntur subditi, quòd sint sub or-
dine q. d. in ordinem redacti, metaphorâ sumptâ à militari di-
sciplina, in qua dux belli extra ordines constitutus universo corpori prospicit, cæteri suo ordine singuli locantur, & stati-
ones servant.

IX. Pergit Apostolus & simul indicat, cui illa subjectio sit præstanda, nimirum *ἐξουσίαις ὑπερχούσαις, potestatibus supereminē-
tibus.* Vetus interpres vertit sublimioribus, sed minus commo-
dè, cum id de solis supremis intelligi possit. Quod verò nō de su-
perioribus tantum, sed etiam de inferioribus potestatibus ser-
mo hîc sit, indicat numerus pluralis. Intelligit igitur per po-
testates

estates supereminentes non tantum supremum in terris Imperato-
rem, Reges, Electores, aut Principes, sed in genere omnem Ma-
gistratum in sublimiore dignitatis gradu constitutum, & aliis
hominibus, qui subditi audiunt, divinitus prepositum & auto-
ritate publicâ instructum.

IX. Ex jam dictis ita concludimus: Quicumq; omnes ho-
mines Magistratui jubet esse subiectos, ille Ecclesiæ Ministros
non excludit. Atqui Apostolus omnes homines Magistratui
jubet esse subiectos. E. non excludit Ecclesiæ ministros. Præ-
tereâ cum scribat ad omnes qui sunt Romæ, dilectos DEI voca-
tos sanctos Rom. 1. v. 7. inter quos etiam locum habent Ecclesiæ
ministri, utiq; eos etiam Magistratui obedire jubet.

X. Ridiculus proinde & absurdus, nec non in ordinem
Politieum nimis injurius est Pontifex Rom. dum non modò se
ipsum unâ cum Cardinalibus & Episcopis, sed & totam cucul-
latorum & unctorum verticem colluviem à Politico Magistra-
tus jurisdictione ausu proprio & nefario vult exemptam, inq;
vita Politica à quibusvis oneribus perferendis immunem pro-
nunciat. Quin imò eò impudentiâ progreditur, ut etiam pote-
statem in ipsum Imperatorem, Reges, & Principes sibi tanquam
Christi in terris Vicario arroget, adeò, ut etiam sine concilio eos
de solio deturbare, subditos à juramento absolvere, & in ipso-
rum locum alios pro lubita substituere nequaquam erubescat.

XI. Hinc à Væiove Tarpejo, vel potius Papis diversis de-
positorum Casarum diversorum indicem benè longum com-
portavit Bellarm. l. 3. de Rom. Pontif. c. 16. Tom. 1. p. 198. ubi aliquot
Imperatorum à Rom. Pontifice non uno depositorum exempla
adducit in quibus: *Constat, à Pontificibus fuisse depositos præter Leo-*
nem III. Græcum & Hildericum Francum, & Henricum IV. à Grego-
rio VII. Ottonem IV. ab Innocentio IV. Hujce adis potest & Alex. 1. 1. 1.
III. qui Fridericū Barbarossam pede collo ipsius imposito calca-
vit hoc addito sarcasmo: Super aspidem & Basiliscum ambulabis.

XII. De quo quidem facto insigniter sibi gratulantur
Pontificii, sed furorem plusquàm impium *AntiChristi efferentis*
se super omne, quod Deus dicitur, aut Numen 2. Thes. 2. 4. produunt.

A 3

annot.

Annotandæ autem ab eodem quoq; erant historiæ Imperatorum, qui deposuerunt Pontifices. *Otonis* nimirum, qui *Jobannem III.* *Heinrici II.* qui tres Pontifices, *Heinrici IV.* qui *Gregorium VII.* exautoravit.

XIII. Refellitur ergo Papæ primatus universali hoc Apostoli præcepto, quod appositè *D. Bernhardus* declarat Epist. 42. Col. 1433. inquit *si omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. E. & vestra. Quis vos excipit ab universitate? Si quis tentat excipere, conatur decipere.*

XIV. Mentiuntur hîc in caput suum Romanenses graviter accusantes & cavillantes *B. Dn. D. Lutherum*, quasi & ille malè de civili Magistratu senserit, & rusticos contra eundem armaverit, cum contrarium potius ipsius facta & scripta luculenter satis testentur. Consule modò Tractatum illius egregium de Magistratu Polit. Tom. 6. len. f. 37. & exegesi Psalm. 101. ibid. fol. 135. Quis etiam est, qui ignoret, Divum *Lutherum* Anno Christi 1525. seditione istâ à rusticis in Germania excitatâ, publico scripto plebeios à seditionibus istis dehortatum fuisse? Vide *Sleidanum* l. 5. de rebus gestis *CAROLI V.* fol. 51. & sequ.

XV. Pergit Apostolus omnes Christianos ad civilem obedientiam adhortando, autoritatemq; Magistratus variis rationibus astruendo. Prima autem ratio desumpta est à causa efficiente, videlicet Deo opt. Max. ordinis Politici autore & conservatore. Verba sic se habent: inquit: *ἐγὼ εἶπὼ ἐξουσίαν εἰ μὴ ἀπὸ τοῦ Θεοῦ.* Exceptiva hæc est enunciatio huic universali æquipollens: *μηδὲ ἀπὸ τοῦ σατανᾶ καὶ τῶν ἀνθρώπων.* Hinc luce meridianâ clariùs elucescit, Potestates non à seipsis, nec à Satana, nec ab hominibus, sed à Deo ipso existere.

XVI. Nec obstat, quod *Osee* 8. v. 4. dicitur: *Regem fecerunt, & non ex me.* Distinguendum enim est inter potestatem ipsam, quæ semper est à Deo, & potestatis acquisitionem & usurpationem, quæ quoad homines sæpe est injustissima, quod minimè tamen Deo, sed hominum affectibus & satanæ malitiæ imputandum.

XVII. Dicam hîc scribimus Papicolis potestaté Papæ ex hoc loco confirmare satagentibus hoc modo omnis potestas est à Deo

Deo E. & Pape potestas, cum nosse deberent isti Sacrarum literarum depravatores, Apostolum hic non de qualibet potestate directè pugnante cum verbo Dei, quomodocunq; ea sit affecta, sed de politica tantùm, eaq; ordinaria ac legitima agere id quod totus verborum contextus ὁφθαλμοφανεῶς demonstrat.

XVIII. Uterius urget Apostolus rationem exceptivè a teà propositam, & à se ipso nunc in universaliter affirmantem conversam, cujus originalia ita sonant: αἱ δὲ εἶσαι ἐξουσίαι ὑπὸ τοῦ Θεοῦ καταγινόμεναι. Quamvis verò in genere de Potestatibus loquatur, easq; à Deo esse asserat, propriè tamen de solis civilibus & publicis ei hic sermo est.

XIX. Graphicè & emphaticè dicitur καταγινόμεναι. ordinatae: potestates enim seculares omnes à Deo sunt, non certè ut tria ista mala publica λιμός, λοιμός, καὶ πόλεμος, quae ad castiganda hominum peccata caelitùs immittuntur, sed ut bona & salutaris Dei ordinatio, quae Dei munia in regendis probis & corrigendis improbis ordinariè sustineat.

XX. Eccessant igitur ex Ecclesiae pomœriis Anabaptista & Liber in bellum Deo inferentes & Spiritui Sancto in os & faciem contradicentes, dum voce plusquam Sion torcè clamitant, Magistratum esse ejusmodi vitae genus, in quo Christiani salvè & illa sã conscientia vivere neut quam possint.

XXI. Valeant etiam Pontificii, & imprimis Jesuitæ dictitantes, Magistratum esse statum, in quo difficulter quis salvari possit. Unde nõ raro Regibus, ac Principibus aut res extitere, ut abdicato officio cucullum induerent, inq; monasteria sese abderent.

XXII. Graviter quoq; impingunt Photiniani Magistratum quidem non disertis verbis rejicientes, nihilo tamen minus tacitè eundem negantes, dum asserunt, præcepta Christi non permittere, ut ulli hominum vita adimatur. Errat insuper Beatus Joachimus, qui in Fortitudine Pacis, seu Tractatu suo Germano anno 1640. edito, Christianis sub Novo Testamento bella gere licitum esse, palàm negat.

XXIII. Ex supra posita ratione sponte nunc fluit illatio à turpi, vel inhonesto desumpta q. d. Nefas & impium est Deo

Deo

Deo ipsi resistere vel e. Uritur autem participio: *ἀντιτάσσοντες*
repugnans potestati, ut haut obscure indicet, omnem inobedi-
entiam, contumaciam & rebellionem esse violationem ordinis
divinitus instituti: quæ cum Deum gravissimè offendat, utiq;
eam impunitam non relinquit, sicut præclare monet D. Ignatius
inquiens: Oportet nos venerari superiores nostros, quia nemo
unquam impunitus abiit, qui contra superiores suos sese
extulit:

Rarò enim antecedentem scelestum

Deservit pede pœna clauda.

XXIV. Docemur hîc, omnem rebellionem esse horribi-
lem *ἀταξίαν*, neq; ab alio, nisi à veteratore Orcino, & ordinis di-
vini turbatore Satanâ proficisci.

XXV. Quàm severè autem rebelles semper puniti sint,
videmus in *Chore, Dathan, & Abiram*, quos terra aperiens os su-
um devoravit, Num. 16. in *Sichemitis* Jud. 9. in *Theuda & Juda*
Galileo, Act. 5. v. 36. 37. Quem fugit, quantas *Absalom, Simèi, Seba*
& seditionum adversus Magistratum autores pœnas dederint?

v. 2.

XXVI. Secundam hunc Apostolus affert rationem, à per-
nicioso ac periculoso petitam dum ait: *οἱ δὲ ἀνθεσκότους ἐαυτοῖς κρι-
μα λήψονται*. Vox *κρίμα* variè sumitur in scripturis, ut videre est
apud Beatum *Gerhardum* tom. 9. L. C. pag. 7. & 8. Hoc loco
vox hæc ab aliis aliter explicatur. *Vetus* interpret reddidit da-
mnationem, *Beza* condemnationem, alii *judicium, pœnam, ul-
tionem* verterunt. Quidam igitur intelligunt de pœna tem-
porali, quidam de damnatione æterna, sed rectiùs & meliùs
accipitur de pœna, quam irrogat Magistratus. Dicit autem *ἀν-
ψονται*, nempe à Magistratu, ut jam dictum, qui gladio refracta-
rios coercere potest, & debet, vel, Magistratu cessante, aut defici-
ente, à Deo, qui ordinis sui non solum amator, sed & assertor exi-
stit. Pronomen *ἐαυτοῖς* stultitiam & insaniam rebellium arguit.
Nullus enim sanæ mentis homo seipsum lædit. Isti igitur suæ i-
pforum cervici, in lanorum instar, malorum Iliadem attrahunt.

v. 3.

XXVII. Probat porrò D. *Paulus* Magistratibus non
impune resisti perita ratione à tercia sine instituti Magistratus
gemino, uno quidem, ut reprobis & contumacibus sint terrori,
altero

altero verò ut bonis & ἀγαθῶν ἰσότητι laudi existant. Quemadmodum autem per terrorem poenas, quibus mali coercendi, ita per laudem omnis generis commoda, quibus subditi sub tutela Magistratus fruuntur, intelligit.

XXVIII. Paucis proinde hic includitur omne id, quod boni Principis proprium est, dum illum honori esse ait bonis operibus, terrori verò malis, quod fit, si fidelis utriusque tabulae Decalogi custos maximopere curat, ut extirpatâ idolomaniâ veri Dei cultus vigeat, orthodoxa religio floreat, subditi in sana doctrina rectè erudiantur, scholæ & cathedræ benè constituantur, pax & tranquillitas publica defendantur, reprobi verò & malitiosi excendantur.

XXIX. Sequitur *descriptio Magistratus*, & tribus distinctis vicibus repetitur, quod ille sit minister Dei. In Græco non solum vocatur *διάκονος τῷ Θεῷ*, quia officii sui administratione gratū Deo cultū & servitium præstat, sed & *κρίτης*, quod vocabulum significat eum, qui publicum aliquod Officiū administrat. Notanter autem dicit, eo ipso Magistratum Deo servire, quando partes officii sui exequitur, & vindex est in iram ei, qui malè agit.

XXX. Constituitur etiam & præficitur Magistratus subditis *eis ἀγαθόν*, ut nimirum bonum publicum promoveat justitiam administrando, justos defendendo, & fontes puniendo.

XXXI. Particulam *εἰκῆ* Vetus interpres vertit *sine causa*, Beza frustra, autē quæ Syrus reddidit modo planè eodē. *Εἰκῆ* autem illud fieri dicitur, quod fit absq; divina ordinatione, vocatione, & approbatione, nec non absq; Dei beneplacito. Sic accipitur hæc vocula Matth. 5. v. 22. Col. 2. v. 18. Consule B. Gerbardum Tomo. 6. pag. 1010. Magistratus ergo *ἐκ εἰκῆ τὴν μάχαιραν φέρει* i. e. gestatione & usu gladii nihil agit contra Dei voluntatem, & suam vocationem, qui gladius ipsi divinitus est datus.

XXXII. Dum autem dicit, *fert gladium*, dubio procul respicit ad priscum Romanorum morem, quo Magistratui gladii, fasces, virgæ, & secures in symbolum potestatis præferiebantur.

XXXIII. Concludit Apostolus, parendum esse, idq; non pro libero cuiuscunq; arbitrio, sed *ex necessitate*, cuius duas ponit causas, unam quidem *τὴν ὀργὴν* *iram* i. e. poenam, & suppli-

B

cium

v. 4.

v. 5.

cium, quod delinquentes & refractarios plerumq; comitari so-
let, alteram verò τὴν συνείδησιν *Conscientiam*, ut scilicet retineamus
conscientiam bonam & illaeram: in obedientiâ enim erga Ma-
gistratum violatur conscientiae integritas.

XXXIV. Ex hoc patet, quod si nihil aliud esset, quod
subditos ad promptam obedientiam alliceret, certè causæ ab A-
postolo allatae sufficerent, *Ira videlicet, & Conscientia*. Præter-
quam enim, quod rebellionem contra Magistratum susceptâ ju-
sta Dei ira provocatur, conscientia quoq; graviter lauciatur:
hinc fit, ut qui scientes & volentes leges transgrediuntur, quan-
tumvis etiam fori Politici pœnam evadant, at tamen noctes, di-
esq; suum gestent sub pectore testem, qui eos persæpe ad extre-
mam desperationem adigit.

v. 6.

XXXV. Causas v. s. allatas confirmat jam à signo,
nempe à jure solvendi tributa apud omnes gentes recepto sic
inferens: διὰ τὴν γὰρ καὶ φόβος τελεῖτε. Verbum τελεῖτε Verus reddidit
prestatis Beza *solvitis*, quem sequitur Piscator. Omnes hi reddide-
runt in indicativo, sed *Lutherus* in versione suâ Germanica vi-
detur in hnuasse imperativum. Cuicumq; igitur tributa & vesti-
galia de jure solvuntur, idem quoq; Magistratus est agnoscen-
dus: ac si in tributis solvendis parati sumus, utiq; etiam in præ-
standa obedientia debita segnes non simus necesse est. Voce
προσκαρτεροῦντες indignantur difficultates, molestiae & sudores,
quibus magistratus officium est refertum.

v. 7.

XXXVI. Tandem Epilogum infert παραμύθους primæ
distributione quorundam debitorum magistratui Politico per-
solvendorum dicens ἀπέδοτε ἢ πᾶσι τὰς ὀφειλάς τῷ τῶν φόρων, scilicet
ἀφειλεμένῳ τῶν φόρων: &c. Respicit Apostolus hîc in primis ad magi-
stratus debita, quorum quatuor ordine recenser. *Primum* est
φόρος *tributi*, quod penditur de rebus terrâ nascentibus ἀπὸ τῆς γῆς,
alterum est πάλος *vestigal*, quod solvitur pro exportatis & im-
portatis mercibus ἀπὸ τῆς πλεῖς, Hæc enim, dicente *Ulpiano*, sunt ner-
vi, sine quibus sustineri & administrari non potest *Respublica*.
Quisquis autem plura de hisce vocabulis legera gestit, adeat *Tom-
mum* 6. B. *Gerhardi* pag. 1291. & sequ. Tertium quod h. l. à
subditis requirit, est φόβος *Timor*, qui sese potissimum exerit in
agni-

agnitione potestatis à Deo ordinatæ, & studio cavendi ejus læ-
sionem, ne pœnas incurramus. D. *Chrysofomus* hîc movet du-
bitationem, quod, cùm supra dixerit, vis non timere potestatem,
fac quod bonû est, hîc dicat: *Reddite timorē. Eximium*, inquit, *ho-*
norem hic præcipit, non illum timorem, qui ex mala conscientia est, de
quo supra cæperat. Quartum deniq; & *ultimum*, quo subditi magi-
stratui solvere tenentur, est *ἰμὴ Honor*, quo nomine non exter-
na solùm reverentia indigatur, quæ fit nudatione capitis &
flexione genuum, aliisq; externis signis, sed affectus interior ho-
noricè de magistratu sentiens, eumq; ceu Dei ordinationem
approbans.

XXXVII. Hactenus primum capitis membrum vidi-
mus, in quo debiti propriè sic dicti & externi mentio facta, quo
quod magistratui debetur, redditur. Occasione huius disserta-
tionis generalius debitum, charitatis videlicet Christianæ mu-
tuæ subjungit, hunc in modû: *nemini quisquam debeat*, inquit, v. 8.
nisi ut invicem diligatis. Exceptio ista est singularis cujusdam
debiti, quod *tale est*, dicente *Chrysofomo*, ut *reddatur & sem-*
per debeat. Hoc debitum est *ἀγάπη*, *Charitas*, sive *dilectio*, quæ
omnes homines perpetuò obligat. Sit autem hæc inter homi-
nes *non simulata aut verbalis, sed vera & realis*, juxta præceptum
I. Johan. 3. v. 18.

XXXIIX. Græcum verbum *ῥοιλεῖς* anceps est, signifi-
cans non minus in indicandi modo *debetis*, quàm in imperativo
debete. Utrûque textui accommodum. Consule Dn. D. *Glassium*
in *meditat. sacris super Epist. Dom. part. I. pag. 442.*

XXXIX. Rationem exhortationis jam addit D. *Paulus*, &
charitatem ut legis epitomen commendat inquit: *ὁ γὰρ ἀγα-*
πῶν τὸν ἑσθὲν νόμον πεπλήρωκε. Diligere alterum est optima quæ-
que, fausta, ac salutaria illi fibritus precari, & quibuscunq; fi-
eri potest modis, illi commodare. Legem autem implere est
præstare ea, quæ lex postulat.

XL. Pessimè hoc loco abutuntur *Pontificii* ad stabilien-
dum in articulo de justificatione meritum operum, quo per
dilectionē gratiam Dei, peccatorū remissionem, & salutē æter-
nam se consequi posse fingunt. Ubi satius fuerat meminisse

mandati illius Christi Luc 17. v. 10. *Omnia cum feceritis, que vobis precepta sunt, dicitis, servi inutiles sumus &c.*

v. 9. XLI. Porro illustrat Apostolus hanc rationem enumeratione præceptorum secundæ tabulæ, solo quarto omisso, & serie præceptorum, prout à *Mose* sunt adnotata, non adeò sollicitè observatâ. Sextum enim quinto præmittit *ratione* (ut autoribus placet) *materia*, quam tractat, quod in adducendo veræ dilectionis exemplo primò ipsi occurrerit conjugialis amor, qui inter pios conjuges ardentissimus est, unde vix accommodatiùs simulacrum in rerum natura se offerebat.

XLII. Emphaticum est ἡ ἀνακεφαλαιώσις h. e. ad caput redigitur, sive in una summa continetur & velut in uno cumulo exhibetur. Eleganter h. l. istud verbum usurpatur de legis divinæ secundæ tabulæ comprehensa præceptis, quorum summa summarum. (ut vulgò dicitur) est *charitas*, adeòq; idem omninò significat, quod *ἀγάπη* *pendent* Matth. 22. v. 40. Videantur *B. Gerbardus* parte 1. Harmoniæ Chemnitio. Lyserianæ continuatæ cap. 146. pag. 1347. & *Dn. D. Glassius* Parte I. medit. Sacr. pag. 435. item in *Rhet. Sacra* pag. 338.

v. 10. XLIII. Tandem confirmat rationem supra propositam argumento deducto à *natura dilectionis*, hancq; *proximo malum non machinari* asserit, & partem hanc capitis secundam insigni hoc aphorismo concludit: *πλήρωμα ἔν νόμῳ ἢ ἀγάπῃ.*

XLIV. Laterem autem lavant *operarii Pontificii*, qui erroneo suo dogmati de perfecta legis impletione *D. Paulum* hîc patrocinari dicunt, cum tamen ille non de tota lege, sed de parte legis, hoc est, de operibus tantùm secundæ tabulæ loquatur, nec in hoc dicto quicquam dicat de *δυνάμει* legem perfectè implendi, sed tantùm præceptorum, quæ in secunda Decalogi extant tabula, summam, & ἀνακεφαλαιώσις cuius inculcet, quæ omninò nobis debet esse quàm commendatissima. Confer magnum *Gerbardum* Tomo 3. L. C. pag. 290.

v. 11. XLV. Connectit nunc *D. Paulus* tertium & postremum capitjs membrum metaphoris plenum cum superioribus dehortatione à vitis gravioribus & exhortatione ad sectandam vitæ sanctimoniam institutâ inquit: *καὶ τὸ, Et hoc, quod de proximi*

proximi dilectione, & multijugis Christianorum virtutibus ditatum scilicet, *estudiosius facite*, D. Chrysoſtomus, & Erasmus verterunt *praesertim*; alii etiam hoc, ut idem sit cum Latino illo, *ad haec, vel praeterea*.

XLVI. Voce *καιρος* & *ωρα* oportunitas, sive ipsum momentum rectè quid faciendi indigitatur. Non autem simpliciter dicit, *cum sit tempus*, sed *scientes, seu cum sciamus* (ita enim rectiùs participium *ειδότες* redditur) innuens praesentis temporis oportunitatem maximè exigere, ut à somnò expergiscamur. Confer loca 2. Cor. 6. v. 2. Gal. 6. v. 10. Esa. 55. v. 6.

XLVII. Dicimur autem *εξ υπνου εγερθηνας*, quando excusata securitate, profligatisq; tam mentis, quam voluntatis tenebris excitamur, & alacres reddimur ad expediendum ea, quæ nobis ratione officii incumbunt. Somnus, de quo loquitur Apostolus, impænitentiæ & peccatorum est, cujus etiam mentio fit 1. Theſſ. 5. v. 6. 7. Consulatur Dn. D. *Glassius* in *Medit. Sacr.* parte 1. pag. 5. D. *Chrysoſtomus* hunc locum præter Apostoli mentem de ultima carnis resurrectione, & Somnum de morte corporali interpretari videtur, dñi *Hom: 24.* super epist. ad Rom. inquit: *Hora est, ut à somno expergiscamur* h. e. propè est *resurrectio, propè est terribile iudicium: propè est dies illa velut clibanus accensa. Oportet ergo, ut deinceps pigritiã nostrã liberemur.*

XLVIII. Caterùm duæ afferuntur rationes quare à somno peccati excitari nos oporteat. Prima deducitur ab utriusque his verbis: *νυν γαρ εγγυτερον ημων η σωτηρια η ορα επισευομεν* Variat hoc loco interpretes. Vulgatus Latinus Genitivũ *ημων* retulit ad *σωτηριας* & ita vertit: *propior est nostra salus*. Erasmus in Annot. p. 419. casum præpositionis attēdēs, *propius nos est*, reddit, vulgatãq; versionem in dubium vocat. Putat enim, si illa locum habere deberet *η σωτηρια ημων* aut *η ημων σωτηριας*, non verò *ημων η σωτηριας* ut in textu est, legendum esse. At hanc rationem nullius esse momenti exempla N. T. satis evincunt; *Matth. 13. v. 16. Phil. 3. v. 20. 1. Petri. v. 7.* perinde igitur est, sive ad *εγγυτερον* sive ad *σωτηριας* referatur, uti præclare monet sæpe laudatus Dn. D. *Glassius* lib. supra citato pag. 20. Verba *η ορα επισευομεν* variè explicata benevolus lector apud prædictum Theologum & Philologum celeberrimum inveniet pag. 21. & sequ.

XLIX. Pro

XLIX. Propius autem nobis salus adesse dicitur, quam Patriarchis tempore Veteris Testamenti, quia quod illi habuerunt in spe, nos habemus in re, & sicuti illi crediderunt in Messiam incarnandum, ita nos credimus in incarnatum, qui opus redemptionis perfecit.

v. 1.

L. Altera sequitur ratio à circumstantia temporis: ἡ γὰρ πρόκοψεν, ἡ δὲ ἡμέρα ἤγγικεν. Diversimodè hic locus explicatur, nos, salvo aliorum iudicio, oppositionem hic esse inter statum Romanorum ante conversionem, qui *nocti* comparatur, & post conversionem ad regnum Christi, quam *diem* appellat, arbitramur. Quæ expositio etiam contextui huic & Apostolico loquendi modo vel maximè conformis esse videtur. Conferantur alia scripturæ oracula Eph. 4. v. 18. c. 5. v. 8. II. 13. 14. Theff. 5. v. 5. 6. 7 8.

LI. Non frustrà autem de *nocte* usurpavit verbum προέκοψεν (quod non plenam noctis prætergressionem, sed progressum propriè significat) & de die ἤγγικεν, declarare quippe voluit præsentis status imperfectionem, ubi nox nondum plenè præterit, & dies non plenè illuxit: illuminati quidem sumus, sed nondum perfectè illustrati, quia multas ignorantia, erroris, & peccatorum tenebras admixtas adhuc habemus. Necircò præsens status non quidem nox est, neq; etiam dies plenè, sed habet se instar diluculi, quando aurora tenebras noctis discutere incipit.

LII. In verbis ἀποδύμεθα, & ἐνδυσάμεθα elegans habetur metaphora à mane surgentibus ducta: hi enim stragula abjiciunt, lectos removent, neq; nudi, sed interulis & vestimentis induti prodeunt.

LIII. Per τὰ ἔργα τῶ σκοτός quævis vitia & flagitia intelliguntur, quæ ante conversionem securè ab hominibus perpetrabantur. Vocantur autem ita 1. ab autore Diabolo, qui Spiritus tenebrarum est, & ad ea patrandam homines impellit. 2. à subiecto, quia filii tenebrarum habentes cor obtenebratum & excoecatum iis delectantur. 3. à proprietate, quia peccatores amant tenebras Joh. 3. v. 20. Eph. 5. v. 12. & 4. deniq; ab effectu, quia peccata in tenebras exteriores, & infernales præcipitant.

ὅπλα

LI V. Ὅπλα ἡ φάλαξ, quibus militem Christianum instructum esse oportet, Apostolus eleganter describit. Eph. 6. v. 13. & sequ. The: 5. v. 8. Maluit autem vocem ὅπλων, quàm ἐδῆτος usurpare, quia studium pietatis cum precibus munit nos contra Diaboli tentationes.

LVI. Subjungit demum Gentium Doctor, quæ studia renatorum diurna esse debeant, & uti in genere opera tenebrarum abjici jussit, sic jam in specie peccata, à quibus Christianos alienissimos esse vult, perstringit. Sufficientem verò singulorum v. 13. occurrentium vocabulorum explicationem qui volet, videat apud Dn. D. Georgium Weinriobium p. m. in comment. super Ep. ad Rom. pag. 263. & 264. Inspexisse etiam iuvabit Benedictum Aretium super h. l. p. 78. col. 2.

LVI. Vox εὐσχημότως honestè, decenter, & compositè, latè patet, & includit tria illa adverbia σοφρόνως, καὶ δικαίως, καὶ εὐσεβῶς Tit. 2. v. 12. Quisquis itaq; vitam decentem Deoq; placentem vivere cupis

Hac tria perpetuò meditare adverbia Pauli,

Hac tria sint vitæ regula certa tua.

LVII. Christus induitur bifariam 1. in justificatione Gal. 3. v. 27. ubi induit nos vestimento salutis, & stolâ justitiæ Esa. 61. v. 10. 2. in renovatione, de qua induitione hîc agitur. Ibi Christ⁹ ut donum, hîc ut exemplum consideratur.

LIX. Postremò additur ἐπανόρθωσις, ne quis id eò torqueat, quasi monastica vivendi ratio & proprii corporis maceratio à Christianis requiratur. Carnem enim, sive corpus non vult negligi, sed potius decentem ejus curam haberi, cibo, potuq; necessario cum debita gratiarum actione illud honestè, reficiendo, servato tamen modo, ne frenum laxetur cupiditatibus iuxta tritum illud: πάντα τὰ μέτρα ἄρῃσθε.

Quæ-

Quæritur.

1. *An Magistratui licitum sit subditorum bona & facultates pro lubitu ad se rapere? R. Negativa plana est, cui non obstant, quæ leguntur 1. Sam. 8. v. 11. & sequ. cum sensus illius loci non sit definitivus, sed partim Propheticus, partim comminatorius.*
2. *An Magistratus Politicus jus, & potestatem habeat interdicensi ministris Ecclesie, ne pro suggestu hereticos nominatim perstringant? N.*
3. *An Magistratus Subditos ad fidem cogere possit & debeat? N.*

Iuste, Magistratum *justis* quod laudibus ornas,
Ac animas ipsi subjicis omnigenas,
Quis *justum* neget esse bonus? tibi conferat ordo,
Quem modò defendis, præmia *justa* brevi.
Rumpatur verò medius tricorniger Hermes,
Iniuste rapuit qui sibi jus gladii.

*Pio, Præstabili, ac pererudito Dn. Respondenti,
de hoc profectuum in studio Sacrarum litte-
rarum specimine animatus gratulatur,
ipsiq; benedictionem Dei multis ju-
gam devotè precatur*

GOTHOFREDUS CUNDISIUS D.

Siccine tam sanctæ flectunt tua pectora curæ,
Iuste, sacri & studii te pius urget amor?
Theologica (ecce!) docent, quæ promissis, & memata, quod sis
Et pietatis amans, officiiq; memor.
Quis non conatus probet, ac applaudat eisdem?
Dios conatus, ô Deus alme, bea!

*fauste & amice gratulat. gratiâ
inquinino suo per dilecto scrib.*

Johannes Zeisold
Prof. Publ.

FINIS.

B. 9.

